



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XX. Dom. I. post Pascha. Cruor Willisovianus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)



CONCIO XX.

DOMINICA I. POST
PASCHA.

Ostendit eis manus & latus. Joan. 20.

Cruor Willifovianus.

A.

Cur Deus
in glorioso
Corpore
suo 5. Vul-
nera reti-
nuit?

(1) S. Cy-
rill. Alex.
in Joan.

Ratio Pri-
ma Cyrilli.

(2) Zach.
13.

(3) Bed. in
Cap. 6.
Luc.

(4) S. Am-
brof. in c.
ult. S. Luc.

Ratio Se-
cunda Be-
dæ & Am-
brofii.

(5) S. Bern.
tr. de pass.
c. 3.

Ratio 3tia
Bernardi.



Uerunt hodie SS. PP. cur à mortuis rediuiser-
uator in glorioso Corpore suo quinque SS. Vulne-
rum fligmata retineret? varii varias promunt ra-
tiones Opt. AA. S. Cyrillus Alex. Episcopus (1)
ait, eum ad vitam regressum SS. manuum pedum-
que plagas exhibuisse, & vivos etiam cælo intulisse, ut non
tantum mundicolæ scirent sed etiam Angeli in cælis intellige-
rent, eum verè ut hominem, natum, passum, crucifixum ac
mortuum esse. Hinc in ascensu eas in voces admirabundi oc-
cidentes proruperunt (2) teste Zacharia: *quid sunt plage iste in
manibus tuis, & quare rubrum est vestimentum tuum?* ver-
ba Cyrilli hæc sunt: *passiones notas retinuit Christus, ut Re-
surrectionis mysterium rectè intelligeretur.*

S. (3) Beda & S. (4) Ambros. unà sentiunt, Christum vi-
ua in corpore Vulnera numero quina servasse, *ad perpetuum
rei memoriam*, relatæ scilicet victoriæ de morte, de dæmo-
mone, de toto averno, de peccato, & procace mundo; hos
enim hostes per roseas hæc Plagas vicit Christus & trium-
phavit.

S. Bern. (5) plagas post mortem S. Charitati adscribit,
quâ nos etiam post mortem suam Christus amplectitur. Cha-
ritas DEUM cælo detraxit. Charitas Deum in crucem egit.
Charitas Deum vitâ exiit mortali, quam homo vixit. Cha-
ritas has plagas nunquam patitur aboleri, ut sciat totus orbis
quanti salus hominum Deo Homini steterit. Ne ultra feno-
stram

stram in cor humanum referari petat Momus, viturus, quid intus Amor operetur: per vulnus visibile verba sunt mellei Doct. quasi per fenestram invisibile Amoris vulnus videtur. Unde singuli ad mutuos amores & patientiam Deo passo exhibendam perpetim animentur, ut verè dici possit tritum illud (6) Bonav. sine vulnere nec volo nec possum vivere, cum aspicio Deum meum vulneratum.

Haymo Halberstadenſis Ep. (7) retenta vult sacra hæc stigmata eum maximè in finem, ut horum aspectu totus hominum cœtus excitaretur ad debitas laudes & gratias pro infinito Passionis beneficio refundendas. *Signa vulnerum noluit obliterare, ut eidem indesinentes gratias agerent electi.* Sic Haymo.

S. Aug. (8) credit ea pro extremo Judicio in valle Josaphat expediendo retenta esse, ut horum intuitu efficaciter possit peccatoribus exprobrari; quid & quantum pro illis passus sit Servator, sine fructu, sine emolumento; dicit adeò ad reprobos, *ecce hominem quem crucifixistis! ecce Deum & hominem, in quem credere nolulistis! videte vulnera, qua inflixistis! agnoscite latus, quod pupugistis! per vos & propter vos apertum est, & tamen intrare nolulistis! ite ergò maledicti in ignem æternum.*

Hæ omnes rationes inelytæ sunt & utiliter excogitatæ. Posset è singulis cum-fructu certa & efficax concio elaborari; sed mitto hodie singulas, & illam unam apprehendo, quam ante omnes SS. Patres suis Hebræis Paulus (9) proposuit, ut ne hæc post obitam mortem impiè renovarentur. Legatur epistola sexta Hebræis inscripta, & fatendum erit, multis quidem & gravibus pœnarum tormentis Christum olim à perfidis Judæis excarnificatum fuisse, hominum tamen malitiam hõc ævo ita crevisse, ut una morte per Hebræos Christo illata nequam contenti pessimè notæ Christiani vitæ Divinæ hanc in horam insidias struant, eumque utut gloriosum plagis novis lauciare, & barbaris ausis iterum iterumque in crucem agere ac interimere totis viribus collaborent. Tales ait Paulus ipsi estis Hebræi, *crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & ostentui habentes, quia idem post Pascha tentatis, quod per hebdomadam*

Aa dem

(6) in vit.
Ratio 4ta
Haymonis.
(7) Haym.
in Luc.

(8) S. Aug.
l. 2. de
Symb. ad
ad catech.
c. 8.
Ratio 5ta
Augustini.

B.
Ratio ultima
omni-
um verissi-
ma S. Pau-
li, Greg.
Thomæ,
Vincent.
(9) Heb. 6.

dem Passionis visi sunt olim tentare majores vestri, DEI ac Domini sui carnifice truculenti. Id quod hic loci Hebræis Paulus exprobrat, exprobrari potest omnibus ac singulis gravi peccatō infectis Christianis. Quid ergo miramur, si Deus gloriosissimo in Corpore suo adhuc recenti sanguine madida vulnorum stigmata exhibeat. Non patiantur has plagas & plagarum cicatrices obduci pessimi nominis Christiani, in hoc omnibus Judæis deteriores, quia hi una tantum vice Christum dilacerabant, hi verò toties lezali vulnere gloriosum Corpus trucidant, quoties graviter peccant. Est hoc ipsum, quod cur-

(10) Ps. 63. *circumdedit me lanceis suis, concidit me vulnere super vulnus.* Ah quid maliferi peccantibus Christianis, qui & esse & nuncupari volunt Catholici, ut tanta tyrannide meos iterum artus dilanient? nunquid satis pro illis passus sum? ut quid ergo vulnera vulneribus accumulamus? ut quid plagas plagis addentiamus? *vulnere super vulnus conciditur*, Magnus inquit Greg. (11) *cum peccatum peccato adjicitur, ut culpa gravius exaggeretur.* Idem ante 400. annos deplorare visus est (12) Angelicus Doctor his verbis: *peccator quantum in se est, dat occasionem, ut iterum Christus crucifigatur.* Si quando nostros fortè oculos Judæi verpæ incurrunt, ocius illas execramur & anathematizamus, nec malè: vi Deo illata, eum columnæ adstrictum multis mille ictibus dilacerarunt, eum fannis & opprobriis oppletum, tanquam omnium latronum caput è vita exturbarunt. At cur non patres diras in nos ipsos vibramus, qui longè crudius Christum excipimus, quàm olim exceptus sit per Judæos. Una ut dixi vice Christum, quem nesciebant Deum simul ac hominem esse, illi in crucem egerant, nos eum toties è furca suspendimus, quoties gravi peccato animum contaminamus. Audiantur, quæ ante aliquot annorum centurias palàm in Italia Sanctus ille Veritatis Præco Vincentius (13) prædicavit: *in hoc fortè minus reprehensibiles sunt Judæi, quàm novi crucifigores, qui manibus & verbis mortem illi accersunt, qui immortalæ mortificam, & in crucifigibilem crucifigunt.* Luunt Judæi suam barbariem hanc in diem; ut enim probati Authores affirmant, Judæorum puelli adhuc hodie nascuntur manu cruenta capiti suo

(11) S. Greg.
l. 13. mor.
c. 6.

(12) S.
Thom. in
Ep. ad Heb.

(13) S. Vin.
ferm. in
Parasc.

C.
Præci Christi
iani ma-
laria supe-

imposita, ut qui olim clamabant (14) *sanguis ejus super nos & super filios*, adulti verò Judæi dicuntur singulis annis in parafceve sanguinis fluxum pati ut Salmeron (15) testatur. Ad hæc nullum mihi Judæum ostendes, qui vultum referat vivi ac vegeti coloris; facies illorum luridæ sunt, pallidæ, & quasi sanguine suo exhaustæ, quia per illos cruor effusus est divinus; hæc de causa passim ab omnibus rejecti, omnium laribus exclusi, totum per orbem omnium servi errant vagabundi, quia DEUM ac Dominum suum tot plagis confectum etiam vitæ spoliârunt. Valentia scribit de illis (16) nullum Judæum ritè cœcos intrueri posse, nisi fiat Christianus; addit aliquos ex Judæis ne quidem posse sputa sua ejicere, aut si ejiciant, in vultus judæicos sperma revolyi occulta vi. Nemo inter fabulas colloquet præsens assertum; id sacerdotali fide sua firmavit inclytus Sacerdos ex Armuzia, cui nomen Damianus Callata. Armuziæ novi orbis famosissima urbe ante 40. circiter annos prædives erat Judæus, qui cum alterius Judæi filiam ducere vellet, & hunc in finem vicinum verpam suis in ædibus salutasset, ut filiam nuptui traderet, filiæ parens rotundè preces pro filia rejecit & negativam dedit proco. Delata est causa ad Catholicum Prætorem loci præsidem ac præfectum; huic aureos montes verpa promisit, si filiam votis adscriberet. Citatus filiæ parens serio requisitus cur nuptias everteret, palam reposuit, hunc ipsum filiæ procum ex ea esse tribu, qui olim sputa sua in Christi faciem eructabant, quæ in pœnam adhuc hodie ipsorum in vultus resultent. Stupuit ad hæc prodigia prætor, & ut rei hujus evidentiam tellis caperet occultatus, accivit quantocius procum, & tamdiu secum detinuit, donec saliva moveretur & phlegma in angulum excuteret, quod tamen illico in ejus vultum resiliit, ut gemma ex genis penderet. Ita vel hodie luunt sputa, quibus CHRISTI divinissimos vultus conspurcabant. Nullam ex Judæis feminis sine sanguine Christiano solvi posse partu suo, certum est; hinc consultum non est, si liberè plateas urbes & oppida peragrent Judæi, quia hos inter lureones summo in periculo infantæ & parvuli versantur, quos ubi possunt, secum abripiunt, eosque diris modis excarnificant, ut sanguinem obtineant

rant Judæos.
(14) Matt. 27.
(15) Salm. de pass. tom. 10.
D.
Judæorum pœnæ.
(16) Valent. in Pf. 108.

E.
Malè tolerantur Judæi infantibus ac puellis iactati.

ELHAPEN
TIV
230



Christianum. At quomodo partus suos inter turcas & gentiles hi verpæ promovent, ubi nulli dantur Christiani? Raderus in (17) Bav. Sancta, Eckhius Ingoltadianus Doct. (19) & Profess. atque ante utrumque (19) Cantiprat. testantur, sanguinem coagulatum assumi & in pulveres contusum, has ad oras transferri, auxilio futurum in partu feminis hebrais. Caspar. Sanchez (20) ait omnes Judæos ex speciali quodam foetore ipsis proprio dignosci, qui se nullo patitur balsamo aboleri; unde passim eos dici audias *foetentes verpas*; foetorem autem illum illò ipsò momentò evanescere, quò Sacris Baptismi fontibus abluuntur ad fidem nostram conversi, fecit rei hujus etiam suis in metris dilucidam (21) mentionem Fortunatus: *abluitur judæus odor baptismate divo*. Sic etiam num hoc ævò à justo Judice Deo cruditas illa castigatur, quæ olim DEUM Hominem tot plagis concisum trucidarunt. Illos adeò tangunt voces illæ vatis (22) Regii & Psalmistæ: *percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis*. Juxta Sacrum Jus & civile apud nos Judæi non possunt honesto cuidam officio publico admoveri, sed ad beate turcæ ac gentiles, ergò censentur esse deterioris notæ, quam memorati ethnici & pagani. Non potest ullus Judæorum vel advocati vel procuratoris aut tutoris munus adire, nec potest validum juramentum contra Christianos deponere. Rationem dat Farinac. (23) *quia nullò modò illis credendum est, sed omnia eos mentiri presumendum est*; quod tamen nonnullis in locis hodie penitus videtur eviguisse. Juxta juris communis leges & sancita non possunt coram judicio contra nos testem agere, ut idem Farinac. bellè observat. Nullus Judæorum potest Christianorum corpora mendicari, nec ullum Christianum mancipatu obstringere, etsi bona emeret, quibus hoc onus annexum foret. Nullus Judæorum potest Christiani alicujus hereditatem adire, nisi verò Judæorum liberi ultrò velint Sacris imbui nostris, tota quæ illos tangit, hereditatis portio cedere debet Christianis. Omnes Judæi certo genere vestiti à Christianis determinando uti debent, ut ab omnibus non Judæis facili possint negotio distingui. Romæ ac Venetiis adhuc viget lex ista, aliis pluribus in locis vestitum hunc grandibus

(17) R. d.
3. vol. Bav.
S. de 6.
pueris Ra-
tisbon.

(18) Jo.
Eckius l.
cont. Jud.

(19) Thom.
Cantipr.
l. 2. apum.
c. 2. n. 17.

(20) Casp.
Sanch. in
2. Reg. 19.
n. 13.

(21) For-
tunat. l. 5.
Carm.

(22) Pl. 77.

(23) Fari-
nac. q. 56.
n. 205.

bus pecuniis redimi patiuntur frigidi Christiani. Venetiis in pectore gestant circulum rotundum & vestium fimbrias flavi coloris. Hanc vestium distinctionem probe omnes alii observent, ut ne Christianis mixti suam liberè perfidiam in Christianos exonerent. Nullus Judæorum jure sacri Asyli gaudere potest, quia incapax est privilegii hujus Christiani. His pœnis passim illa barbaries proscinditur, quâ in probrosissimam mortem Deum ac Dominum nostrum abripuerunt. Sic unâ nostram ad fidem eminus sollicitantur, si quidem ab his omnibus probris vivere gestiant immunes.

Vidimus hucusque pœnas castigandis Judæis à justo Numine decretas; cum autem pravi Christiani ut paulò antè meminimus, longè deterioris sint conditionis ac malitiæ quàm maledicti verpæ, patet undique, quanta pœnarum illas his judaizantibus Christianis à DEO sit determinata. Cum porò quodvis grande peccatum juxta S. Pauli doctrinam, DEUM iteratò crucifigat, id utique seriò evitari ratio jubet & natura. Abierunt propè duo secula cum dimidio, Justum Numen palàm in Helvetia ostendit, quæ pœna novitiòs Dei crucifixoies olim sit exceptura. Totum obiter recensebo, unâ quidquid hucusque dictum est suffulciam, totumque sermonem nostrum concludam.

Willisovv est pervetusta Helvetiæ Catholicæ Civitas, ut videre est in Helvetia Sancta ante aliquot secula, quàm Austriaca Nobilitas ob efrænem & insolentiæ plenam dominandi libidinem funditus extirparetur, regebatur urbs ista per Comites Willisovianos, nunc verò ob familiæ illius occasum totum illud Willisoviense Dicasterium jure emptio- nis sibi vendicat Cantu Lucernensis, qui singulis trienniis ex more suum illuc præfectum destinat hanc in lucem. Ex- tra hanc à cruento sanguine famosissimam Catholicæ fidei civitatem ante annos 400. magna erat area, hunc in finem purgata, ut singulis festis ac Dominicis post Sacra in templis expedita hic loci robusta juventus conflueret, & se mutuis bellorum exercitiis ad omnem belli aleam ritè accingeret

F. Judaicam pravita- tem in Christianis Deus casti- gat. Tragicum exemplum ab Helve- tia peti- tum. Hist.

A a 3

& præ-

G.
Lusus
grandibus
malis ob-
septus.

& præpararet. Area itaque illa non lufibus publicis & impudentibus lucris, sed bono publico aperta est, ut his ab exercitiis ad hostem procul à patria pellendum agiles ac prompti juvenes redderentur. Lufibus publicis lucri causa susceptis in furta & rapinas flexillis ætas præcipitatur, unde nullibi hodie tolerantur, ubi ad urnam sedent, plus bono publico & morum honestati, quam proprio lucro intenti. Cessat tamen more passim recepto hic etiam locus in grandem abusum, ut passim non tantum martiis luctatoribus sed perfidis & pecuniosis luforibus pateret. Agebatur annus millesimus centesimus nonagesimus secundus post CHRISTUM natum, hem post vespas 7mo Junii hunc in locum condixerant tres horridi lufores, non ut corpus luctando & digladiando exercerent, sed ut aleis ac fritillis grande lucrum captarent; eum in finem subcilia grandem sibi mensam undique rotundam erexerant, ad quam seram in noctem stygius tertio lusum luserat solennem. Alii omnes jam loco cesserant occiduo Sole, ecce hi novis ætibus successi ardentibus faculis aleæ currentis oculos illustrabant. Unus eorum nomine suo nuncupatus *Udalricus Schrötter*, ceteros tacet Author Helvetus. Erat Udalricus is ipse, qui omnem pecuniam ludendo dilapidabat; hinc more his lurconibus recepto diras omnes in DEUM evomere & enormibus blasphemis cælos irritare. Opt. AA. hoc uno ex capite omnis lusus lucro additus proscribatur, quia plerumque DEUS gravissime à blasphemis luforibus violatur. Restabat huic nebuloni tantum pecuniolæ, ut unum adhuc aleæ jactum sustineret; posuit itaque Symbolam suam, at unâ has in Deum blasphemias eruçtabat: ultimus esto jactus, quem si etiam mihi Deus subtraxerit, probè ocium gratiam ad alterum transmissam vindicabo: hunc ego pugionem sursum in latus ejus projiciam, si me hoc etiam lucrò destituerit. En quousque luforum pravitas excurrat! ludit Udalricus & iteratò lusum perdit; totus itaque in fûrias actus DEUM horridis calumniis & sacrilegis scommatis insectatus, quidquid ira suggessit, evomuit; quidquid furor dictavit, ore stygio ejecit. Ah quàm pius & misericos DEUS est! Cur non ocium orcinum Alastorem orco rapuit,

rapuit, qui efrænem linguam in summa extraheret. His non contentus lurco, etiam pugionem sursum quanta vi potuit, manu evibravit, CHRISTI latus iterato si posset, perforaturus. Ita cor DEO tetigit, ut plus ultra tandem ad pravitatem non posset connivere, mittit DEUS illicò binos dæmones tanquam Iustitiæ ministros, qui blasphemum lusorem cum corpore simul & cum anima in orcum raperent. Adérant spectaculo huic testes oculati duo tenebriones, qui mox totis artibus tremiscere & vindicem DEI manum sollicitis curis expectare; cùm autem tantas in DEUM blasphemias non eructarint, mitius nonnihil cum hic agere visa est Nemesis Divina, ut mox dicetur. Interim pugio nubes transcendit nunquam ultra visus; ut autem rescires, lateri Sacro impactum esse pugionem, mox ab ictu in mensam defluerant quinque gemmæ, uterque lusor prodigio attonitus studebant quidem totis viribus roseum cruorem suppressere & abolere. Raptabatur ad præterfluentes undas *Wigger* dictas mensa, ubi alter aquis voluit guttas abluï, altero præ sacerrimo horrore nullam ex guttis atrectante; utut autem extinguere laboraret guttas alter lusor, nihil uspiam profecit; quò arctius mensam perfricuit eò splendidius quintuplex gutta rutilavit; sic mensa iterum sub tiliam devoluta, ibidem inversa & ramentis tectâ fugam meditari uterque. Antequam verò pedem locò moverent, lusorum more primùm verbis digladiari, alter alteri dicam impingere, & lusus sacrilegi culpam imputare, vi ucius certò ad pœnam raperentur, tandem etiam manus manibus conferere, pugionibus mutuis dimicare, ubi mox ille, qui Sacras Mensæ guttas extinctum ibat, à Iustitia Divina correptus, letali plagâ saucius humi corruit funus. Quorsum in ira & rancore migraverit, pronum est conijcere. Restabat adeò tertius, quem ad supplicium traheret Divina Themis; hic quasi alter Cain occiso Abele fratre suo, quâ licuit, fugam arripuit, se tam divinæ quàm civili vindictæ substracturus. At lanceo pede Vindex DEUS fugientem infecutus, eum mox altero die prehendit. Totum corpus ejus pure intumuit tubere ac pituita; adhæc etiam phtiriasis seu morbus pedicularis, morbus Herodianus ita nebulonem corripuit.

ripuit.

ripuit, ut præ immani fœtore nullibi tectum aut mapala reperiret, ubi tutò noctu caput suum reclinaret, omnium ædibus tanquam impium peripsæma exclusus. Sic domum redire compullus, extra urbis patriæ portam sub dio abjectus, omni hominum ope & auxiliò justò ex rancore delitutus, fame ac inedia, morbo ac fœtore confectus, eo quo Herodes olim ritu crepuit & contabuit tertius lusor. Noluit ad furcam rapere præsentem Justitia secularis, ne Divinæ actû scelus vindicanti præjudicaret. Dicitur tamen agnito errore, & lusu palam ejurato pœnitentiam egisse, morbum & inediam tanquam sceleris patrati vindices æquo & patienti animo & ultimum usque spiritum sustinuisse; unde conjici possit, eum à Deo non penitus reprobatum, sed pœnitentium syllabo insertum, gratiâ & gloriâ donatum esse sempiternâ. Sustulit Sacras quinque guttas mensâ excisas ducto ex urbe supplicabundo agmine Vener. Clerus, & eas auro ac gemmis ornatas publico cultui exposuit, extracta etiam in loco, ubi lufum est, nobili Ecclesia tribus aris insignita, ubi tamen hodie una tantum gutta venerationi prostat, quia reliquæ, pio quodam furto in Alfaciam & in Boicam translatae fuisse perhibentur.

H.
Improbi
lusores
judizant.


Ex his abundè patet AA. quis hodie CHRISTO cœlis illato adhuc plagas imò tetram mortem intentet. Id ante alios præstant, qui jurant & blasphemant, improbi & pecuniosi, perditæ & maledicti lusores. O utinam tempus esset hoc lurconum genus pro meritis cribrandi! quot oculis stant aleæ, tot flagitia lufum stipant. Discipulus nobilis præco sed antiquarius 24. numerat, quæ suo loco, suo tempore ordine discutiam. Utinam hic omnes urbium ac locorum præfecti tantis ardoribus lusorium agmen extirparent, quantis olim S. Comes Elzearius id suos inter extinxit. Qui sub hoc capite vel chartam miscuit, vel aleam rotavit, iam pœnam tulit quadruplicatam. Sic Narbone omnis lufus eviguit. S. Cyprianus. S. Basilius. S. Ephrem. solidos tractatus contra hos stygios lusores exarârunt, eum in finem, ut hoc scelus excinderent. Quàm acriter lufus iste sit Ecclesiasticis inter-

I.
Lufus ma-
ximè Sa-
cros dede-
cet & Ec-
clesiasti-
cos: quid
in hos
Concilia.

interdictus, patet ex 6. Synodo generali, ubi canon 42. us-
 tantum improbos & scandalosos lufores attingit. S. Con-
 cilli Trid. sic odit lufores hosce, ut hanc etiam legem sancir-
 ret (24) si quo casu ad Parochiam aut beneficium aliquod
 ab aleatore quis presentaretur, hoc uso ex capite talis pre-
 sentatio cassetur & irritetur. Voluit nempe malis omnibus
 Sacra & provida Synodus obviare, quæ ex tali presentatione
 & familiaritate cum lusoribus contracta essent suo tempore
 prognascitura, si à presentatore similem ludendi spiritum pre-
 sentatus hauriret, quod certò futurum sibi Sacra Synodus per-
 suasit. Multis apud Turcas omnem lusum etiam cum gran-
 veziris prohibet Alcoranus. Quid ad hæc Clerus noster? Ca-
 veamus proinde AA. ne impiam Christianorum verparum clas-
 sem, qui Deum iteratò sauciant & trucidant, reprobi lufores
 ampliemus. Eum in finem omnem iniquitatem & injusticiam,
 omnem avaritiam, odium & iram, omnem libidinem & in-
 temperantiam, & vel maximè omnem lusum serio evitemus,
 ne per nos graviter Deus saucietur, suumque iteratò super
 nos cruorem effundat, qui tamen nobis non ad salu-
 tem fluat, sed ad exitium, quod à sin-
 gulis D. T. O. M. avertat.

(24) Conc.
 Trid. sess.
 22. c. 1. de
 reform.

Amen.



Bb CON-

ELH AMEN
 CIV
 23